



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Secvndvm Officivm Conscientiae Laudare benè agentem Voluntatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

SECYNDVM OFFICIVM CONSCIENTIÆ

Laudare benè agentem voluntatem.

TRACTATUS IX.

DE TESTIMONIO ET LAVDE
CONSCIENTIÆ.

Gloria & honor & pax omni operanti bonum.

Ad Rom. 2. v. 10.

Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ; quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo.
1. Cor. 1. v. 12.

Laus quam Conscientia de re bene actâ voluntati tribuit, solida est & licita. Neque ab eâ inanis gloria, sed verum sincerumque Gaudium mentis exoritur.

P R O O E M I V M.

*Duplex
Conscientia
munus.*



Rimam ratiocinationis nostræ partem exegimus, eamque difficillimam: è præruptis montium euasimus in planiora; & sic placidior faciliorque deinceps decurret oratio. Duo Conscientiæ esse munia jam dudum diximus. Primum quidem de actionibus præstandis statuere

tuere agendum quid sit, licitumne sit eas exhibere an illicitum; ac proinde in rem trahendæ num sint, an verò ab iis penitus desistendum. Alterum quod Conscientiæ competit, est de actionibus jam peractis ferre iudicium, illudque decernere, an benè sint præstitæ an verò perperam. Primum jam absolvimus; secundum nunc aggredimur explicare. Verùm istud etiam perpendendum est, quòd quamvis in actionibus quæ agendæ sunt decernendis, unico tantum modo munus suum Conscientia exequatur, qui totus hoc vno dictamine absolvitur, præstandam hanc quæ proponitur actionem videri aut non præstandam, agendum aut non agendum: tamen præstita jam peractaque actione, plura sunt Conscientiæ officia, ad quæ eius iurisdictio exercenda extenditur. Sic sanè Legislatoris, aut Regii Senatûs, in præcipiendis ferendisque legibus, vnica tantum est actio; legis nimirum efformatio eiusque in populum diffusa declaratio, quâ cunctis fiat manifestum quid ab iis requiratur. At verò circa actiones populi jam præstitas, non vnum est aut Regis, aut Iudicis, aut Senatûs officium. Nam aut laudare rem, benè peracta si sit, debet, præmiisque bene agentem afficere; aut castigare, si lex obseruata non fuerit. Hoc verò vt agat, inquirendum est in scelera, testes examinandi, corrigenda denique quæ Reipublicæ iniusta est labes. Ita prorsus varia exercenda sunt Conscientiæ munia, vt de actionibus jam peractis, officio suo faciat satis. Persequemur paulatim singula. Nunc verò istud demonstrandum est, cum benè peracta est actio, legique quam Conscientia tulit factum est satis, munus eius esse laudare Voluntatem, eique de re bene actâ gratulari. Vnde istud existit commodi, vt tota mens Gaudio perfluat liquidissimo: neque tamen inanem hanc esse vanamque gloriam, sed solidam omnino, eamque cui, quam in hac mortali vitâ habere possumus, beatitudo superstruatur.

... licentiam in eas exhibere an illi...

Ea que precedentibus sex Tractatibus sunt explicata, breuiter & summam exponuntur.

Opera pretium me facturum existimo, si antequam pergam, ea que diffusius jam dicta sunt, summam colligam, & in exiguam contracta epitomen, vno velut oculo conspicienda subiiciam. Unde id existet commodi, vt & ante actorum facilius futura sit recordatio, & eorum que dicenda sunt liquidior sit, & apareat quasi concatenata connexio.

1.

Conscientia est voluntatem dirigere

Primum itaque Conscientiæ munus explicauimus. Quæ cum nobis ad instar Padagogi à Deo prædicta sit ex mente Epicteti, ita eius primum officium est, Voluntatem quæ naturâ suâ cæca est, quasi manu ducere, agenda designare, de fugiendis admonere & instruere; idque non generatim docendo quid licitum sit in genere aut illicitum, sed particulatim quid in quâuis actione quæ præ manibus est, obseruandum sit vt fiat bene, aut vitandum ne fiat malè. Quòd si Conscientiam, cum D. Gregorio Nazianzeno, mauius dicere *Tribunal domesticum*, legislatorem nominas. Aut vt pressius loquamur, eius munus est, legem à Deo latam Voluntati intimare & porrigere, eamque peculiariibus actionibus applicare. Si denique cum Theologis Conscientiam statuas esse *Proximam regulam actionum humanarum*, cum verò dicemus, remotam quidem supremamque regulam, cui humana omnia commensuranda sunt & adæquanda, esse legem voluntatemque Diuinam, cui vti omnia, ita & Conscientia, vt debitum ordinem habeat, debeat conformari: at verò proximam regulam & amissim, ad quam singulæ actiones exigendæ sunt & expendendæ, Conscientiæ dictamen esse, seu iudicium quo certò statuit, hîc & nunc actionem hanc esse licitam, Diuinæque Voluntati penitus conformem, aut saltem ab eâ minimè dissentire.

2.

Vide auctores hos citatos in Tract. 2. §. 1.

in actionibus particularibus.

Et quidem tantæ auctoritatis esse diximus hanc à Conscientiâ latam sententiam, vt quamuis indubitata lex sit Deum colendum esse & amandum, obseruandam esse iustitiam, jus suum cuique tribuendum; tamen nulla Voluntati speculatiuas hæc veritates

3.

Tract. 1. §. 3.

veritates sequendi incumbat necessitas aut onus, nisi reipsâ Conscientia voluntati denuntiet, & quasi præcipiat, hîc & nunc colendum esse Numen; hanc quæ præ manibus est actionem legi esse subiectam; hoc jus dicendum; hanc denique seu Deo, seu sibi, seu Reipublicæ, seu proximo observationem, aut obsequium, aut reuerentiam esse exhibendam. Istud igitur primum Conscientiæ officium est, Voluntatem actu seu reipsâ instruere, & velut cæcum, ne cespitet aut labatur, per plana & aperta, quasi manu ducere.

Voluntas
obligatur
Conscientiæ
sua dicta-
m non cer-
tum sequi.
Nec peccat
etiamsi er-
ret Con-
scientiæ.

4. Jam verò eam ex aduerso etiam esse Voluntatis obligationem docuimus, vt semper peccet, quoties Conscientiæ ducentis arbitrium non sequitur, & ab eo distracta in alia abit omnia; numquam autem peccet, quoties bonâ fide, ducenti se Conscientiæ obtemperat. Quod non tantum locum habet, vt tum solummodò peccasse te credas, dum Conscientiæ, veram Dei legem quæque reipsâ obliget, obtendenti non pares; sed etiamsi ipsa per merum errorem, inuincibilem tamen, alia prorsus omnia, quàm quæ lex Diuina fert, facienda proponat, peccas nihilominus si ei refragaris: & contra, impune & absque peccato sic errantem sequeris. Agis enim omnino prudenter, neque vitio vertendum est Voluntati, quod agit inuita, aut faltem mali nescia. Sic profectò non imprudenter agit cæcus, qui ducem suum, de cuius perfidiâ nulla vîquam ei incidit dubitatio, bonâ fide ducentem sequitur, etiamsi à viâ aberret. Istud enim nequit discernere cum cæcus sit; neque alium percipit ducentis imperum seu recto, seu deuio ducat itinere; vtrouique manu ducitur. Ducis autem est de viâ discernere, cæci verò illi insistere, per quam ducitur. Sic quamuis mentiri sit semper illicitum; si tamen Conscientia dicet mentiendum esse, quod sincerè, licet per errorem, iudicet tuendæ vitæ, seu suæ seu alienæ, à mendacio petendum esse patrocinium; errat quidem Conscientia, non peccat tamen voluntas mentiendo: imò nisi mentiretur, malè ageret, quod Conscientiæ dictamini, quamuis erroneo non obediat, cum nulla de commisso errore menti incidat suspicio. Plana sunt hæc omnia, cum fide bonâ agitur, cum error non est culpabilis, aut ignorantia studio quæsitæ & affectata; cum denique iudicium Conscientiæ, quod de actionis bonitate fertur, certum est, neque vllâ dubitatione, aut mentis vacillatione intermixtum.

Tract. 3.
f. 2.

Tract. 3.
f. 4.

Tract. 3.
f. 8.

LI Quia

Cum probabiles sunt opiniones, Conscientia eligere potest utram vult.

In dubio sequendum, id quod tutius donec deponatur dubium.

Si dubium deponi non potest, cum ex possessione aut iuris presumptione decidenda est res.

Quia verò non raro fit ut de actionis peragenda bonitate aut malitia, certum planè indubitatumque Conscientia nequeat iudicium ferre: *primò* quidem, quòd pro utràque parte rationes stent utrimque probabiles: eo in euentu, dixi, utram vult, feligere posse sententiam, eamque sequi sine vllò prorsus peccandi periculo. Fusè hæc à me disputata sunt.

Secundò autem, cum hæc iudicii certi suspensio, ortum nonnumquam ducat ex eo, quòd rationes sint eiusmodi ut nullum ne probabilem quidem in alterutram partem assensum queat elicere; vnde dubiam hæere mentem necesse est; tum verò dixi in tutiorem partem inflectendum esse dictamen Conscientiæ, illudque amplectendum quod est securius, quamdiu dubia manet res, neque veritas potest euinci. Istud autem dicitur tutius, quod sine peccati periculo fit aut omittitur, dum contrarium non nisi cum discrimine peccati, saltem materialis, committendi exhibetur. Sic quamdiu dubitas an jejunii lex hodiernum diem afficiat, abstinendum est carnibus donec de veritate rei constet. Nullum enim peccatum committitur, si carnibus non vescaris, etiam si dies jejunii non sit; infringetur autem lex, si verè dies hic à lege jejunio fuerit designatus.

Quòd si verò rebus omnibus bene expensis, examinatis & discussis, nihilominus dubia manet res, nec in alterutram partem, ne probabili quidem ratione veritatem datur assequi, tum sanè ex possessione, iurisue præsumptione, uti in foro externo & politico, ita & in foro interno seu domestico, efformanda erit Conscientiæ sententia, eique addicenda parri, pro quâ hæstant. Sic si nocte diem inter Jouis & Veneris, dubitatio incidit an sit hora noctis duodécima; quam diu de rei veritate constare non potest, pro libertate vescendarum carnium ferenda est sententia. Certa enim possessio pro libertate stat, quam septimanâ totâ liberum obtinebat arbitrium: legis autem dubium est adhuc jus. Quòd si autem nocte quæ Dominicam à Sabbatho dispelet, incidit hæc dubitatio, carnibus omnino est abstinendum: lex enim quæ totodie Sabbathino carnium vsum vetuit, possessionem obligandi obtinet; ea autem non elidetur, nisi certò iudices Dominicam illuxisse; id verò non iudicas, quamdiu dubitas de totâ re.

Tertiò denique, quia contingit sapissimè; ut scrupulis agitata mens,

5.

Tract. 4.
& 5. toto.

6.

Tract. 6.
§ 2. 3.

7.

Tract. 6.
§ 4. 5.

8.

Tract. 7. toto. mens, falsisque peccatorum simulacris præpedita, nullum, saltem quod sanum sit, de actionibus instituendis proferre possit arbitrium; postquam naturam geniumque huius morbi sanè miserandi exposui, tandem istud ex peruulgatâ Theologorum omnium sententiâ, dixi, contemnendos esse omnino, non tam Conscientiæ, quàm à Dæmone ingestos aculeos, & vt latratus catelli habendos despiciatui. Quinimo adeo iis non cedendum, vt contraria omnia agenda sint, mente impuidâ & imperterritâ. Ut autem Conscientiæ dictamen certum & indubitatum, quod omni actioni præmittendum est, rite scrupulosus formet; suo id Marte si non possit effingere, ex viri prudentis aut Confessarij id formet arbitrio. Neque tamen à Conscientiæ suæ dictamine aut iudicio, eo in euentu abibit, cum iudicare istud possit, alienam sese posse in arbitrando sequi sententiam: & cum possit, etiam sæpe numero debere; cum alia curandis scrupulis, formandæque Conscientiæ ipsi non suppetat medicina.

Scrupuli contemnendi sunt & agenda iis contraria.

ibid. §. 2.
 11
 ibid. §. 3. Remedio 5. Et hæc quidem summa est eorum quæ sex præcedentibus Tractatibus sumus complexi: quibusque primum Conscientiæ officium, quod in dirigendis actionibus quæ adhuc præstandæ sunt totum consistit, vt cumque exposuimus. Ad alia itaque faciamus gradum.

Ex viri prudentis iudicio Conscientiam formare potest, imo sæpe debet scrupulosus.

9. Et hæc quidem summa est eorum quæ sex præcedentibus Tractatibus sumus complexi: quibusque primum Conscientiæ officium, quod in dirigendis actionibus quæ adhuc præstandæ sunt totum consistit, vt cumque exposuimus. Ad alia itaque faciamus gradum.

§. II.

Solius Conscientiæ est peractis actionibus laudem dare, cui Voluntas tutò potest acquiescere. Declaratur quænam iudicia humana estimanda sint, quæ contemnenda.

10. **O**pus propositum Voluntas pro libero quo pollet arbitrio cum peregit, tum verò ad secundum muneris sui exercitium Conscientia accingitur: siquidem omnis animæ libera actio, prout ex Conscientiæ dictamine instituenda est & dirigenda, ita postquam peracta est & in rem deducta, rursus ad Conscientiæ tribunal est reuocanda, vt eius iudicium subeat, malène fuerit transacta an verò benè. Et siquidem benè actum fuerit, approbatur opus; & Voluntas, quasi pro rostris, legitimè laudibus à

Conscientia est actionem practitam approbare. & laudare voluntatē



Conscientiā extollitur: quibus tota mens delibuta, Gaudio perfunditur incredibili, & tamen sincero & solido: vnicum quod Conscientiā pro re bene actā conferre potest primum. Sic tamen vnicum, vt nullum prorsus illi, aut pretio, aut stabilitate, aut etiam voluptate possit comparari: imò si hoc desit, reliqua omnia nullum operā dicenda sunt primum, adeoque cum D. Paulo habenda *pro minimo*, imò etiam pro nullo

En quidem solius Conscientiā legitimum id munus est.

Sic certe Pædagogi munus est, non tantum clientis sui manum ducere, recte scribendi dare præcepta, characteresque efformandos præscribere; sed & ea quæ à puero scripta sunt discutere, & quæ corrigenda sunt dispungere. Sin verò recte se habeant omnia, characterum apices bene si sint expressi, linearum ordo probè exaratus, & quod propositum est exemplar accurate obseruatum si sit; tum fanè & laudare accuratationem pueri, & verò etiam pro re & tempore, præmio clientem debet afficere. Quamquam non aliud magis sit puero expetitum, si sit ingenuus, quam gaudium quo gestit, Pædagogo sua probari quod persentiat. Eius enim approbationem maioris facit, quam vllius cuiusquam alterius, qui characteres à se exhibitos laudibus extolleret. Neque fanè domesticorum omnium mira de se prædicantium dictis acquiesceret, si vni tantum displicere se sciret Pædagogo. Huic cum satisfacit, ipse sibi sufficit, etiamsi in se laudando reliqui omnes deficiant. Sapit profectò puer ita cum sapit; tota enim ei res est cum Pædagogo, cuius curæ se nouit esse commissum, neque ab alterius cuiusquam domestici nutu aut imperio dependere.

Hæc itaque tenenda est agendi ratio. Pædagogum animæ præpositum à Deo, Conscientiam esse iam diximus. In hanc igitur figendus est animæ obtutus, hæc obseruanda est vnicè, vt rectè statuas, in te ei quid displiceat. Aliorum si tibi præterea iudicium adjicitur benignum & placidum, ægrè id quidem ferendum non est; sin verò non adjicitur, ferendum id fanè est perquam leuiter, neque vulgi sententiis est succensendum. D.

Conscientia est vera arbitria a-tionum; errare non potest.

Ambrosii præclarum id est monitum. *Non secundum forenses abundantiam, inquit, estimanda est beatitudo singulorum; sed secundum interiorem Conscientiam, que innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera & incorrupta panarum premiorumque arbitria.* En vt quæ à me de amplissima Conscientiæ jurisdictione dicta

1. ad Cor.
4. v. 3.

11.

12.

D. Ambr.
1. i. off. c.
12.

dicta sunt, suo calculo firmet Ambrosius. Etenim *vera* prorsus est, imprimis innocentia aut flagitii, ac proinde pœnarum præmiorumque *arbitra*. Cum enim voluntas errare non possit, sic ut ei culpæ vertatur, si Conscientiam sequitur, eiusque regulæ seu dictamini adæquatur ut antè ostensum est; sanè nemo quisquam potest veriùs, & manifestiùs discernere an Conscientiæ ductum voluntas secuta sit, quàm ipsamet Conscientia quæ cæcam duxit. Neque verò ullius iudicio eidentiùs scies, an dictamini Conscientiæ tuæ, tamquam regulæ recti, actionem applicueris, quàm ipsius Conscientiæ iudicio quæ rem direxit. Sic an linea quam chartæ inscripsisti, recta sit, quâ demùm id poteris ratione manifestiùs indagare, quam ex ipsius regulæ quæ manum scribentis duxit, applicatione & quasi sententiâ? Sanè si Conscientiæ regulam obseruasti, certum est rectum te tenuisse, id est egisse prudenter: regulam autem Conscientiæ an obseruaris, nemo id quidem diiudicabit sinceriùs, quàm ipsa quæ rem direxit regula. Vera itaque & sola innocentia & flagitii; pœnarum exinde præmiorumque *arbitra* est Conscientia.

13. Neque *vera* solummodo sed ut D. Ambrosius asserit, *incorrupta* omninò est arbitra, id est iudicii prorsus incorrupti, quodque nullo favore, nullis blanditiis, nullis etiam minis possit infringi aut vitari. Quidquid enim mihi abblandior, quidquid persuadeo, quidquid exoro, numquam tamen id mihi persuasero ut iudicem rectè egisse me, tum cum contra iudicii mei dictamen iudico me egisse. Quid enim est malè agere, nisi iudicio suo in agendâ re contravenire? atqui quo pacto est possibile, iudicare me, contra iudicii seu Conscientiæ meæ dictamen non egisse, cum reipsâ iudicem oppositum? Dissimulare peruersitatem actionis fortè possum; iudicare autem peruersam non esse, in manu non est. Nimis enim incorruptus iudex est Conscientia; & huius arbitrio in mente aguntur omnia. Rursus etiam ex aduerso, nemo ullus mihi persuaserit malè me egisse, si bonâ fide Conscientiæ ductum in re agendâ secutum me fuisse mea iudicet Conscientia; arbitratum, inquam, fuisse sincerè & candidè. Hoc si mea statuat Conscientia, frustraneum est quod totus orbis criminis me condemnet; innocens sum, si mea Conscientia me absoluit. Errasse possum, fateor; peccasse autem minimè: siquidem peccare est, Conscientiæ suæ dictamini contradicere: errare autem,

*Aliud est
benè egisse,
aliud verò
egisse quod
bonum est.*

est quomodocumque, siue per culpam, siue inculpate, ab eo quod verè rectum est desciscere. Possum ergo sine culpâ errasse; sine culpâ autem propriè non peccatur. Conscientia igitur cum de actione diiudicat, quamquam falli possit in eo quòd eam iudicet legi Diuinæ conformem, cum forte per errorem conformis non sit; numquam tamen falli potest, dum iudicat actum benè, id est, actione iudicio Conscientiæ conformatâ & congruâ. Longè enim diuersa sunt, bonum agere, & benè agere. Bonum enim ex erroneâ Conscientiâ fit sæpiùs malè, & malum benè. Tanta est in actionibus humanis permutandis Conscientiæ vis & auctoritas; & in iis diiudicandis, tam incorrupta minimeque deprauata sinceritas.

Atque ex hâc differentiâ quæ reperitur inter bonum vel malum agere, & inter benè vel malè agere, ratio fiet manifesta, cur minimi ducenda sint, imò prorsus contemnenda hominum iudicia, quoties te benè vel malè egisse statuunt; quoties te vel de scelere arguunt, vel de virtute deprædicant. Non est, inquam, quod te hâc laude multùm delinias, aut vituperio magnopere perturberis: nesciunt enim quid rerum dicant. Neque de virtute tuâ aut vitio, vllus, præter Conscientiam tuam, pro sano, iudicium potest ferre, cum nemo resciat quid rerum agatur intus. Hinc ad rem meam D. Gregorius: *In omni, inquit, quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem; & interiorestem, & iudicem requirere. Quid enim prodest si omnes laudent, & Conscientia accuset? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola Conscientia defendit?* Nihil planè, cum ad interiores actiones hominum rite diiudicandas, nulla nisi pro Conscientiæ tribunali, legitima detur auctoritas.

D. Greg.
hom. 1. in
Ezech.

*Obicitur,
non videri
contemnè-
da omnia
humana
iudicia.*

Quid ergo inquires, an nulla omninò attendenda sunt hominum, etiam proborum prudentiumque iudicia? sanè si laudi ducendum non est quod omnes laudent, neque adeo dandum sit vituperio omnes quòd vituperant, maxima commercio humano infertur labe; neque posthac è communi peruulgatoque hominum sobriè prudenterque agentium iudicio, sed ex priuato cuiusque sensu, tota viuendi petenda est ratio: quod certè perquam absonum est, & heteroclytum: inter homines enim viuimus, quorum moribus iudiciisque, dum à Diuinâ lege non aberrant, sese coniungere, ne pars à toto discrepet, summa profectò est virtus,

15.

&

& quæ rectè vocatur humanitas : vbi contra iudiciorum omnium contemptus, barbaries quædam dicenda est, & ad silvas ferarumque cauernas non immeritò ableganda.

Respondeo,
curanda
iudicia, cū
iudicant
quid bonū
aut malum
sūt.

Optima est hæc obiectatio, & quæ rem omnem declarabit ap-
16.
primè. Satis enim id videtur difficile, quo pacto iudicia quæ de
te feruntur, contemnenda cum Gregorio passim dicant Sancti
Patres, imò & Sacræ paginæ; vniueque adhærendum esse statuunt
Conscientiæ iudicio: cum tamen in commune viuamus, atque
adedò ex communi proborum hominum, vnaque conuiuentium
agendum sit iudicio, ne pars, vti rectè opponitur, discrepet ab
vniuerso. Respondeo itaque, quòd vt rectè iudices, quid bonum
sit & honestum agere vel non agere, tibi cum id non constat,
id quidem ex alieno petendum esse iudicio. Rursus quid mores
ferant patriæ, quid leges, quid vetera instituta, quid ciuium ordo,
quid incolarum consensus, & cætera omnia quæ ad communem
viuendi rationem faciunt. Rursus quid passim laudi vertatur
quid vituperio, non è tuo petendum est cerebro, sed è commu-
ni id decernendum est consensu. Denique an ingeniosa fuerit
quæ à te exhibita est actio, an utilis aut tibi aut Reipublicæ, an
tempori & rebus accommoda; tandem vt verbo dicam omnia,
an *Bonum* sit id quod egisti, bonum, inquam, vt dicitur materia-
liter, id sanè iudicare possunt homines: & verò si probi sunt &
prudentes, eorum standum est iudicio; neque adedò contemnen-
di, vt potius plurima eorum laudi & vituperio deferenda sit re-
uerentia. Nam ad diiudicandum quid bonum sit & rectum, ra-
tionalis naturæ sese iurisdictio extendit, quam cuius homini in-
seuit Deus. At verò vt legitime iudicent homines, rectè egeris
& *benè*, etiã dum egisti quod reipsâ bonum est, id verò in eo-
rum manu non est; cum ad internos animi tui motus digno-
scendos, nulla eis pateat via. Quo pacto igitur iudicent, quod
nesciunt, neque scire possunt nisi ex te: sin autem de re ignoratâ
ferunt iudicium, jam sanè manifestum est, quàm id sit futile &
contemniendum.

scientie
operis

non verò
eum iudi-
cant quid
actum benè
vel malè.

Non satis-
facit laus
humana,
nisi Con-
scientiæ laus
accedat.

Vt itaque certò noueris an benè & sine culpâ rem peregeris,
17.
non id alienis iudiciis indagandum est, sed decernendum tuo.
Et quamuis totus passim orbis hominem te frugi vocet, magnâ-
que virtute pollentem clamitet; iustitiæ tenacem dicat; eleë-
mosynis quas erogas benè largis applaudat; corporis macera-
tiones

tiones, precesque in multas horas, noctemque concubiam protractas laudet; denique virum magnæ religionis omni que exceptione majorem te deprædicet: tamen si Conscientia iudicet, bona hæc omnia, non benè à te fieri, id est non rectâ mente, sed nescio cuius captandæ famæ gratiâ; denique ad distortos fines & fortasse malos, studia omnia deriuari: tum sanè sic statuet, ineptum hominem esse te, hypocritam, omni que dignum vituperio, quantumcumque sanctum te dicant homines, & inter Diuorum numerum, viuentem adhuc referant, nouâ atque hætenus inauditâ apotheosi. Bonum te egisse quod iudicant, iudicant benè; benè autem quod egeris, iudicant pessimè. Bonum verò laude dignum non est, nisi fiat benè. Contemnenda igitur sunt, quantumcumque magnifica de te iudicia; imò si rectè rationem tenes, tute ipse fateberis ingenuè, numquam tibi ab alienis laudibus fuisse satisfactum, quoties Pædagogus interior, Conscientia inquam, iis intercessit. Quinimò maiori pudore suffusum te confiteberis, quoties reclamante Conscientiâ, actionemque tuam condemnante, laudibus te fortè extulit alienus fauor. Verissimum est itaque istud Gregorii, *quid prodest si omnes laudent & Conscientia accuset?*

Conscientia laus, si non aliâ omni, sibi sufficit.

Vicissim verò, omnes quamuis te condemnent, virtutisque factæ te insimulent, & omnia à te probè facta in malos perversosque fines detorqueant; approbationem tuæ Conscientiæ si actorum tuleris, nequidquam vituperabunt omnia. Virtute tuâ, rectique Conscientiâ te inuolues, ridebisque vulgi insanientis iudicia; & uti innocens, ita & viues securus tui. Hoc autem qui consequitur, quid vltra persequitur? secum viuit placidè, dum tempestatibus circumuoluitur orbis vniuersus: habet enim de se iudicium verum & incorruptum. Maneat istud itaque, Conscientiæ, non directionis tantum, sed & approbationis jus competere: ipsius esse decernere quid rectè actum sit quid peperam, ac proinde quid laude dignum sit quid vituperio; ac denique Voluntatem pro re bene actâ laudibus; contra verò, vituperio afficere.

18.

S. III.

Exponitur in quo consistat laus Conscientiæ, quod gaudium inde oriatur, & quæ dicatur leta Conscientia.

19. **I**N quo autem laus sita sit, quam Conscientia actioni præstat, facile id jam erit intelligere. Est enim ea laus, actionis præstite nuda approbatio, judiciumque legitime prolatum, *Factum bene*. Sic autem instituitur tota hæc actio. Simulatque à Voluntate liberâ (nam non liberæ nulla laus competit) actio aliqua in rem producta est; illico mens in eam, quasi animæ suæ sobolem, oculos coniicit. Et siquidem eam Conscientiæ dictamini, quod antè de re agendâ tulerat, conformem inuenit; illico ut genuinum dignumque se factum agnoscit; approbat quod actum est, & iudicat actum benè; siquidem id solùm benè agitur, quod ex Conscientiæ sit dictamine. Statuit itaque primò, actionem eam exerceri debuisse, aut saltem sine crimine potuisse: ac propterea actum esse probè. Et sic approbata est operis, ut sic dicam, substantia. v. g. statuit eleëmofynam benè collatam, preces religionemque Deo rectè exhibitas, justitiam benè administratam, conuiuium benè celebratum, corpori relaxationem bene datam: id est, omnia ista fieri aut debuisse, aut saltem potuisse. Atque hæc prima actionis est approbatio & laus.
20. Deinde circumstantias omnes operis dum circumspicit, si eas etiam dictamini Conscientiæ ad vnguem videt congruere, sic ut modus agendo præscriptus obseruatus sit; tempus nimirum datum actioni commodum & opportunum, diurnitas operi prudenter circumscripta, locus & loci congrui, modus & mensura, prout oportet rebus adhibita: hæc inquam, omnia aut pleraque si actionem cõmendare Conscientia iudicavit, tum non operis tantum substantiam, sed & operis modum, id est, totam quanta est actionem approbat Conscientia, laudeque ex omni parte dignam iudicat Voluntatem. Hoc est, ita egisse iudicat, ut nemo, ne Deus ipse quidem iudicare possit, actum improbè.
21. Atque ex hæc demum Conscientiæ approbatione, Gaudium

Laus Conscientiæ est operis nude approbatio.

Primò quoad substantiam operis.

Deinde quoad circumstantias.

M m

animæ

Quid sit
Gaudium
ex illa lau-
de exsur-
gens.

animæ existit, quo ita delibatur, vt nullum ei, nisi solum quod super naturam est, majores, sinceriores, solidioresque delicias possit facere. Istud autem Gaudium si petis quid sit, dico aliud esse nihil, præter pacem Voluntatis acquiescentis, & quasi indormientis Conscientiæ suæ iudicio. Aut vt aliis verbis dicam, Gaudium istud, Quies est Voluntatis cupientis omnino actionem istam à se esse præstitam, & nolentis præstitam non esse; idem est enim voluntati Gaudere, & velle. Et Gaudere de te præstitiâ, nihil aliud est quàm velle te voluisse.

Conscientia
vnde dicitur
sur laeta.

Hæc demum voluntatis sibi acquiescentis pax & tranquillitas, Gaudium dicitur & securitas Conscientiæ. Non quod Conscientia læta sit aut esse possit, est enim Conscientia vt ante me dixisse meminim, merus actus Intellectus, & hic quidē mera operis approbatio: in hâc autem, aut in intellectu, quod potest esse gaudium? Tamen hæc ipsa operis approbatio & laus, non male dicitur læta Conscientia; ideo quod ipsa radix sit lætitiæ, quam Voluntas ex operis sui approbatione legitimâ percipit. Sic sanè læta dicitur iudicis sententia, quâ quis innoxius declaratur; multoque magis ea, quâ veluti testimonio publico & authentico, eius acta deprædicantur: non quod iudicis sententia læta sit, sed quod lætitiæ futuræ causa sit & fundamentum. Sic quidem verissimum est istud D. Bernardi, *Conscientia bona letificat animam*: lætam autem facit, iudicando quod Conscientiæ suæ dictamini fuerit obsecuta, quod ducis suæ directioni obtemperarit, denique quod egerit benè. Læta igitur dicitur Conscientia, quia lætitiæ radix est, succumque quo voluntas gaudeat, animæ suppeditat. Gaudium autem quod exinde trahitur, tantum est, vt totam perfundat animam; eamque sapissime ita repleat, vt etiam in corpus ipsum, & præcipue cor, naturalis gaudij sedem, redundet: adè vt etiam membra corporis, vipote animæ actionisque bene exhibitæ instrumenta, suo præmio non careant, sed deliciis fruantur, vti innocentissimis, ita & liquidissimis. Atque hæc quidem laudis à Conscientiâ procuratæ, sunt effecta.

22.

Tract. 1.
§. 1. & 3.D. Bern.
l. de Cōsc.
part. 1.

§. IV.

Ostenditur minimè insanum, aut vitiosum esse, bene de actionibus à se præstitis sentire & judicare; sed contra potius sanctum. Explicantur quædam oppositæ auctoritates.

23. **D**Vo iis quæ à me dicta sunt video posse opponi, quæ non exiguæ sunt momenti; quæque si rite exponantur, magnam argumento nostro lucem dabunt. Et primò quidem, non abs re quæri potest, an consultum sit existimare te rectè agere, & de virtute propriâ iudicium ferre sibi fauorabile: quinimò & pro re benè actâ se laudare & quodammodo sibi gratulari. *Primò* enim satis constat, mente captorum id esse sese mirari, & laudibus extollere. Jam verò siue meipsum laudem, siue mea me laudet Conscientia, id quidem perinde stultum, cum nemo à Conscientiâ suâ sit alius, sed vna sit atque eadem res. *Secundò*, perfectioni, ad quam contendendum est, profus id videtur contrarium, arbitrari se rectè & ex virtutis regulâ actiones suas instituire. Aliâ sanè viâ, virtutis apicem tenuere Sanctissimi quique viri, Per summam enim demissionem animi *verebantur opera sua* cum Prophetâ Jobo, & tam exilem projectamque de rebus suis habebant existimationem, vt sanctissimas etiam à se præstitas actiones, virtutumque heroicarum exercitia, cenfario notarent calculo, & verò etiam culpæ plerumque condemnarent. Posset id quidem pluribus euinci Sanctorum Patrum testimoniis; vnum tamen dissimulandum non est, illudque celeberrimum D. Gregorij ad Augustinum Episcopum Angliæ responsum, quodque in Decreto refertur. Ita inquit. *Bonarum mentium est ibi culpas suas agnoscere ubi culpa non est.* Hoc autem bonarum mentium si sit, cuius demum mentis erit, actiones suas palpare, laudibus efferre, & quasi fortum formosissimum blandè demulcere & quodammodo defuauari? cuius, inquam, id mentis erit, an insolentis an insanæ? profectò id bonæ mentis esse non dicet Gregorius. *Tertio*, quid est arrogantia ansam dare si hoc non est? quàm facitè insolescet, qui se, quæ laude

*Obiicitur
dicitur. Non
videtur
consultum
esse quod
Conscientia
Volunta-
tem de re
bene actâ
laudat. Id-
que tripli-
cem ob ra-
tionem.*

Iob. 9.
v. 28.

refertur
distin 5. c.
Ad eius.

digna sint egisse, secum ipse loquitur, sibi que persuadet? Cavit profectò huic periculo Christus ipse. Idcirco, inquit, *Cum feceritis omnia quæ præcepero vobis, dicite serui inutilis sumus.* An non exinde manifestum sit, actionibus nostris nullam deberi laudem, imo ex aduerso potius esse vitij condemnandas? Hoc igitur agendum esset Conscientiæ; reprehendere deberet actiones etiam præclarissimas, & non eas, quasi eximium quid actum sit, putidè apud se efferte. Et hæc quidem prima est objectatio.

Obiectio 2.
lætitiæ ex
benefactis
oriæ, vi-
detur esse
vana glo-
ria.

Altera ex hæc nascitur. Nam etiam si operibus benè & ex virtute peractis, aliqua detur à Conscientiâ approbatio, tamen gaudium quod exinde oritur, videtur omnino reprimendum. Quid enim est inanis gloria, tot Sanctorum Patrum exagitata & & condemnata sententiis, nisi ea quæ ex rectè factorum Conscientiâ oritur, mentemque incautam subrepat lætitiæ? Quòd si autem vanæ gloriæ fumis lætitiæ animi inspergitur, profectò minimè dubitandum est, reiicienda quin sit, neque vnumquam Conscientiæ subiectis laudibus, temerè suscitanda. Hæc fere sunt quæ dictis opponi possunt, & verò etiam explicatione indigent. Primum igitur hoc paragrapho expedio; alterum sequenti.

Responde-
tur obie-
ctioni pri-
mæ.

Respondeo itaque, non nisi per errorem grauissimum dici, neminem nisi per insaniam iudicare posse, hominem sese esse frugi, bene agere, & laudabilem sese operam virtuti impendere; atque hoc sanctorum hominum praxi aduersari, vtpotè à quibus omnis sese demittendi impensè quærebatur occasio, nulla verò efferendi se. Temerè inquam dicuntur isthæc dicta. Adeo enim hæc Sanctorum praxi non officiant, vt sanctissimus quamuis esset Paulus, minimèque arrogans, tamen de Conscientiæ suæ pro se datâ sententiâ, mirum in modum exulteret, & sapientissimè gloriatur. Ita loquitur. *Gloria nostra hæc est. testimonium Conscientiæ nostræ.* Et quid quæso testabatur Conscientiæ? opera ab ipso præstita, rectè præstita, atque esse bona. At ex quo capite ita censet? Ex eo sanè quòd sincerâ mente, quòd bonâ fide, quòd simpliciter ex Conscientiæ dictamine ea peregerit. En verba Pauli exponentis quæ sit gloria, aut quòd sit Conscientiæ suæ testimonium, *quod in simplicitate cordis inquit, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei, conuersati sumus in hoc mundo; abundantius autem apud vos.* Ea vt quæ antè à me dicta sunt, confirmet Paulus; laudem nimirum

Gloriatur
de testimo-
nio Con-
scientiæ suæ
D. Paulus
& non glo-
riatur vanè.

2. Cor. 3.
v. 12.

1. Cor. 4.
23.

nimirum & gloriam cuique propriam à Conscientiâ esse petendam. Nam qui aliàs generoso animo dicebat, *Mibi autem promittend est ut à vobis iudicer, aut ab humano die*, ecce nunc de Conscientiæ suæ testimonio, pleno ore, plenus gaudio gloriatur. Totum autem de quo tantoperè exultat Conscientiæ testimonium, paucis hisce verbis circumscribitur, *quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei*, id est Deo cognitâ, iudicavit *ita conuersandum in hoc mundo*, prout conuersabatur; id est, ita egisse, prout Conscientia agendum præscripserat. En totam quam Paulus habebat & præ se ferebat latandi, imò & gloriandi materiam.

26.

Non tamen hic hæreo: sed jam sic tecum ago. Quòd si omnis Pauli gloria sit testimonium propriæ Conscientiæ, certum est, testimonium de re benè actâ Pauli Conscientiâ tulisse: quòd quantum intelligo nihil est aliud, quàm iudicasse, actiones præstitas, ex virtutis regulâ esse præstitas, ac proinde fuisse laudabiles. Nam si perperam acta fuisse Conscientia attestaretur, nullam sanè ex tali testimonio habuisset Paulus gloriandi materiam. Laudauit itaque Paulum Conscientia. Et cum Paulus à suâ Conscientiâ nihil differat, manifestum profectò est Paulum laudasse se. Et tamen, an vllus insanisse Paulum dicere audeat, nisi qui non vulgariter ipsemet insaniat? Nullus inquit. At Paulus ita de se sentire licitè poterat, cum id liquidò sciret, sanctitatis omnis apicem assecutum se. Itane verò? at vnde id rursus poterat dignoscere, nisi ex Conscientiæ suæ, singula quæ in simplicitate cordis & sinceritate Dei agebat approbantis testimonio? non igitur quia sanctum se nouerat, idcirco opera sua tamquam laude digna commendabat Paulus; sed quia singula quæ præstabat, opera, Conscientiæ testimonio approbabantur, idcirco de sanctitate suâ, de Dei, inquam, amicitia sibi præstitâ, iudicium poterat pro sano ferre. Non igitur dicat quis, insanorum esse laudare se, actionibusque suis album calculum adijicere. Sanè prudentis est scire quid quis agat, & de actionibus suis iudicium verum ferre. Insani est, laudes suas passim in vulgus temerè spargere; dotes animi aut corporis vbique ostentare, & forsitan eas quas non habet: insani est, de rebus à se actis nullum loquendi modum aut finem facere: insani est etiam quandoque, actiones suas ita omnibus velle commendari, quasi si nullum iis vitium

Et ostenditur, adeò non insanum esse quòd Conscientia se laudet, ut sine illâ laude nemo sit probus.

Quando sit insanum laudare se.

biupis

M m 3

irrepre-

irrepperit: infani est, iudicare tam ingeniosè, tam prudenter; tam cautè agi & acta esse à se omnia, vt ab omnibus necessario sint approbanda. Hæc, inquam, omnia, aliquid intermixtum insanix habere possunt. Verùm si rectè aduertis, hæc ad Conscientiæ forum, jurisdictionemque non spectant. Iudicat illa, vt antè me dixisse memini, non an ingeniosè, non an cautè, non an ex humanis sapientiæ regulis, non denique an alienam approbationem & laudem merita sit actio quam præstitit; sed an benè actum sit, hoc est, an sincerè, an bonâ mente & fide. Hoc autem iudicare aded infani non est, aut arrogantis, vt sine hoc iudicio nemo possit esse vir probus, Conscientiæ, inquam, cultor suæ.

Quid in o-
peribus suis
rigidè at-
derint san-
cti viri.

Ad sanctorum autem virorum praxim quod attinet, quasi si 27.
ipsis solemne fuerit sese etiam de bonis actionibus accusare, & verò etiam quasi de malè actis condemnare; id enim verò prorsus nego. Et quamuis errori huic, plurimorum recensitis exemplis, lætiam possem detrahere, vna mihi iam sufficit D. Pauli quam nunc protuli, & quidem irrefragabilis auctoritas. Equidem fateor, sanctissimos homines rigido prorsus examini actiones suas subiicere solitos, & non indiligenter fuisse perscrutatos, an non pæuus aliquis, quamuis exiguus, quique etiam minùs perspicacium aciem effugeret, fortassis virtutum exercitio sese insinuaerit: condemnasse verò actiones omnes utcumque ceciderint, id sanè dissiteor. Certum est, quòd quamuis ex. gr. oratio Religionis sanctissimum sit exercitium, tamen non ita sanctam esse semper quæ funditur, vt non aut diuturnitate moræ, aut mentis euagatione & incogitantia, aut etiam ex corporis labori renitentis inconstantia, venialem aliquam labem possit contrahere; quæ tamen orationis substantiam, vt sic dicam, non vitiat; quemadmodum neque farinam prorsus adulterat, si quid forte fursuris sit intermixtum. In hos tamen næuos Sancti viri inquirebant acerrime. Et sic *verebatur opera sua* Job, non quidem ne mala essent, quæ sciebat naturâ suâ esse sanctissima; sed ne à subrepentibus paulatim vitis, quidquam eorum bonitati detraheretur. Neque tam verebatur opera sua, quàm verebatur operibus; quorum bonitati, industriâ singulari præcauebat. Errores ergo inquirebant in actionibus suis Sancti; non vt operibus nigrum thera inirent, eaque condemnarent; sed vt si iis labis aliquid

aliquid ex humanâ fragilitate adhæsisset, istam illicò discuterent & emendarent. Neque verò quæ formæ suæ studiosa est virgo, vultûs sui speciem condemnare dicenda est, quòd minutim admodum in riuos maculasque exiguas speculo opposita inquirat, iisque adiuuentis, illicò ad manus veniat quasi si bellum vultui indixerit. Vultum certè non condemnat, sed riuos; hos autem dum condemnat, commendat vultûs speciem. Neque verò in maculas inquirat, vt iis repertis sese deformem iudicet, formosa cum sit; sed vt inuentas deleat, ne formæ pergant officere. Talis, inquam, Sanctorum mos est: riuos in actionibus etiam sanctissimis inueniunt, ad quos aliorum oculi caligarent. Verùm iudicasse eos, actiones omnes perperam à se esse institutas, orationem nullius fuisse meriti, idè quòd euagatione mentis interpolata fuerit; corporis afflictiones, eleëmofynas, aut alia iustitiæ opera, mala fuisse, quòd vana iis sese gloria interseruerit; colloquia corporisque recreationes sceleratas fuisse, quòd modum aut aut tempus aliquantulum excesserint; aliaque eiusmodi, actiones suas ita vitiasse, vt malas habendas duxerint; hoc, inquam, penitus nego eos iudicasse, & dicta eiusmodi, piæ cuidam, vt sic dicam, sacrarum rerum ignorantia censeo tribuenda.

*Explicatur
compara-
tione*

28. Quid enim? an ergo Sancti pro gratis sibi à Deo præstitis, gratos sese non præstitère largitori tam munifico? Gratias autem fauoresque è cælo percepisse se si agnoscant, sanè istud etiam sciuerè, an gratis sibi concessis rectè sint vsi. Vsi verò iis rectè si fuerint, consequens est vt sciant benè aliquid à se esse præstitum: nisi fortè dicas, benè aliquid posse fieri ab ignorante, an benè operetur an malè, id est, sine boni aut mali Conscientiâ.

scire oportet an benè egeris vt Deo gratus sis.

29. Atque vt errorem hunc multis magis detraham, istud hîc pertransennam dicendum est, falli plurimos, quòd examen nocturnum Conscientiæ, cui multum assueuere pii homines, inquirendis tantummodò peccatis, quæ per diem commissa sunt, credant institutum. Falluntur, inquam, si hanc totam esse putant examinis materiam. Fateor ideirò institui, vt in actiones præteritas inquiratur: & quidem si peccatis fuerint inuolutæ, vt illicò desleantur, & non procrastinatâ pœnitudine, contractæ fordes vt deleantur, pristinusque redeat animæ nitor. Sed quid si actiones inueniantur bonæ, aut certè maculis tantum exiguis interspersæ? Tum sanè agenda sunt Deo grates oppidò maximæ,

Et ad grates exhibendas institutum est magna ex parte examen quotidiani Conscientiæ.

bono-

bonorum omnium largitori, & per quem stetit, à te actum quòd sit bene. Hæc enim uerò est animi, virtutes suas agnoscentis, demissio; agnoscere per quem sis id quod es; eique tribuere actionum à te bene præstitarum, uti originem, ita & laudem. Grates autem quomodo præstabis Deo, nisi bonitatem actionis agnoscas, ad quam exhibendam, usus te Deus fuerit ut instrumento? Hoc itaque agnosce, & non de nihilo lætus es, quia non de nihilo gratus. Hanc autem examinis instituendi formam, præterquam quòd à Sanctissimo Patre nostro Ignatio descriptam acceperimus, etiam à D. Chrystostomo inuenio olim traditam, ac in duo membra disunctam. *Quando in lectum tuum ueneris, inquit, ... dicit in corde tuo & in animâ tuâ; Expendimus diem ð anima! quid boni fecimus, aut quid malè operati sumus? Et si quid boni feceris, age Deo gratias; si quid mali, de cetero ne facias.* Etiam igitur ex D. Chrystostomi mente est, rem à se actam dignoscere, & siquidem acta sit bene, id etiam sine temeritate ullâ, posse, imò debere iudicari.

D. Ignat.
I. Exercit.

D. Chryf.
hom. 2. in
Psal. 50.
co. 1.

Responde-
tur ad lo-
cum D.
Gregori.

Cur ergo, inquires, D. Gregorius asserit *Bonarum mentium esse proprium, ibi culpam agnoscere ubi culpa non est?* Palmaria videtur esse hæc à tanti viri auctoritate desumpta difficultas; gaudeo nihilominus eam mihi esse obuolutam. Scio multorum Theologorum ingenia torsisse hanc sententiam, & varia à variis enodandæ difficultati afferri acuta & præclara. Et quidem D. Antoninus ut se expediât, dicit *culpam agnoscere*, nihil aliud esse nisi *culpam timere*. At præterquam quòd id sit distorquere verba Pontificis, ego istud nequidem satis intelligo, cur bonarum mentium sit, culpam timere ubi culpa non est. Id quid bonarum mentium proprium esse video, cauere ne subrepat malum, illudque fugere dum præsens est. Sed cur timere debeo, ne vipera hîc me mordeat, ubi vipera non est, nec prima quidem viperæ vestigia? Sic sanè, culpam timere ubi culpa est, id verò video bonarum mentium qui sit proprium; at verò eam timere, ubi non est, pace D. Antonini dixero, me penitus non percipere, bonarum mentium id qui sit.

D. Anton.
p. 3. tit. 3.
c. 10. §. 10.
reg. 6.

Bona mens
sumitur à
D. Gregorio
pro simplici
& ignorantia.

Aliis alii modis nodum hunc conantur dissoluere; sed ego ne nodum quidem video, si quid sint hoc loco *Bonæ mentes*, rectè exposueris. Bonas enim mentes hîc vocat Gregorius, mentes rudes & simplices; antiquæ, sed parum in rebus agendis institutæ

31.

tutæ probitatis. Sic autem *Bonarum*, id est, simplicium mentium, fateor proprium esse culpam aliquo modo aut etiam omninò agnoscere, vbi culpa non est; hoc enim est simplicem esse & rudem. Hanc autem sententiam & mentem esse Gregorii, patet ex ipso orationis contextu, & responsi naturâ. Quærebatur nimirum ab Augustino, Angliæ Episcopo, inter alia, an mulieribus, tum cùm illi sexui morbis consuetis, menstruis, inquam, implicentur (sit verbo venia, vt constet de mente Gregorii) an, inquam, eo tempore sacra eis deneganda Synaxis esset. Et rursus, an rectè agerent, quæ tum à tam sancto mysterio suâ sponte abstinerent; esse enim non paucas quæ id sibi religioni ducerent: prout & nunc non paucos videas, qui illoto ore, nefas esse, quamuis per errorem ducunt, hæc sacra suscipere. Quæstionem sic dissoluit magnus Gregorius: Synaxim eis denegandam non videri, & rectè agere eam cùm petunt. Verùm si quæ ex mysterii reuerentiâ, cui sordes has corporis putant officere, vsum sibi Communionis interdicat, laudandam esse potius quàm reprehendendam. En verba Pontificis. *Si ex veneratione magnâ percipere non presumit, laudanda est; sed si percipiat, non iudicanda.* Et prioris quidem sententiæ rationem subjicit. *Bonarum quippe mentium est,* inquit, *ibi etiam aliquomodo culpam agnoscere, vbi culpa non est.* Vt autem probet culpam non esse, illicò addit, *quia sæpè sine culpâ agitur, quod venit ex culpâ,* scilicet Adami, prout hæc & reliquæ omnes infirmitates veniunt. *Vnde etiam,* inquit, *cùm esurimus sine culpâ comedimus, quibus ex culpâ primi hominis factum est ut esuriremus.*

32.

En sensum D. Gregorii; quem quidem iudico esse apertissimum, verum, & genuinum; neque vllis explicationibus intricandum, si per *Bonas mentes*, mentes simplices & ignorantes intellexeris; quas quidem, præsertim in hac materiâ latis sordidâ, neque pro populo multum explicandâ, simplicitati suæ & ignorantia committendas, in eâque relinquendas esse iudicat Pontifex, ne simplices animæ aliquod arripiant fortassis offendiculum: præsertim cùm sine peccato vllò à Communione licitum est abstinere. Neque sensum hunc video Syluestro displicere, qui durius etiam bonæ mentes quid hinc sint, explicat. *Hoc est bonarum mentium,* inquit, *proprium: sed non in quantum sunt bone moraliter, sed in quantum naturaliter sunt male ex defectu rationis non*

N n

potentis

Syluester
verbo
scrupulis.

potentis iudicare verum, propter complexionem melancholicam, vel alias causas scrupulositatis. Ita ille. Dicamus autem naturaliter esse bonas, hoc est simplices; & plana erit oratio. Judicant enim culpam esse, non quia moraliter ipsa bonae sunt, sed quia naturam suam bonae sunt, hoc est simplices, & quidem ex rationis defectu. Neque verò mirum est D. Gregorium bonas mentes cum simplicibus confundere. Nam praeterquam quòd id linguis vernaculis, quibus nunc utimur, passim in usu sit, video etiam hunc simplicis & boni promiscuum sensum Latinis non displicuisse. Plinius certè sic loquitur, *Bonitas*, inquit. *Et simplicitas uxoris.* & Cicero ipse boni vocabulum sic detorquet. *Consules duos bonos quidem, sed tantum bonos amisimus.* Quid est autem tantum bonos, nisi quod vulgo dicimus simplices, & ad res gerendas inhabiles? Itaque consent sibi D. Gregorij & verba & mens; & ex hoc loco non conficies, sanctitatis indicium esse culpam fingere aut agnoscere ubi culpa non est, sed mentis non satis sobriè sapientis, aut certè ignorantiam, quae simplicitati ignoscenda est, temere implicatam.

Plinius apud Lucium in azario ling. Lat. Cicero ad Brutum.

Respondetur ad locum ex Evangelio de promptum.

Jam verò quòd ad auctoritatem Christi attinet, discipulos suos sic instituentis, ut cum fecerint omnia quae praecepta sunt, dicant seruos sese esse inutiles; id sanè à me dictis minimè officit. Non enim praecepit Christus, ut sese malos seruos dicant, sed inutiles. Quod quidem triplici potest ratione explicari. *Primo* ut quaecumque demum virtutum opera à nobis fuerint praestita, etiam accuratissimè & sanctissimè, tamen de iis tam tenuiter esse sentiendum, ut naturam suam prorsus inutilia esse agnoscamus, quibus amicitiam Diuinam, caelestemque gloriam consequamur; quae non operum coaenita praestantiae & merito naturali quasi de condigno tribuuntur, sed Gratiae Christi dantis dignitatem supernaturalem operibus, & Dei ea acceptantis atque ita remunerari decernentis mero beneplacito. *Secundo* inutiles nos esse seruos fatendum est, licet omnia à Deo praecepta fuerimus executi; quia opera nostra nihil commodi Deo afferunt; neque quidquam pro eis gratiae Deus debet, cum nihil ei sit praestitum, quod non jure seruitutis debebatur. Et hunc sensum verbis suis praestituisse Christum, declarat orationis contextus. Cum enim petiisset, *Numquid gratiam habet (Dominus) seruo illi, quia fecit quae ei imperauerat? Non puto.* Mox subjungit. *Sic et vos,*

33.

Lucæ 17. v. 9. 10.

Et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Quod si fecerint quæ debuerant, certè fecère quæ bona erant; non enim facere debebant mala. Igitur cum sciuerint fecisse se quæ debuerant, sciuerunt sanè fecisse se bene, atque adeo bonum de suis actionibus tulere iudicium. Et hoc debuere ferre, ex mente Christi, vt nihilominus sese seruos faterentur inutiles, id est obsequiis suis nullum Domino conferentes commodum. Tertio locum hunc sic interpretatur D. Augustinus, dicite serui inutiles sumus, seu superuacui, id est vacantes. Quasi sicut Christus, agendum esse tam strenuè cum Deo, vt cum omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis, non putemus nos muneri satisfacisse si deinceps vacemus ab opere; sed illicò accurrendum esse ad Deum; nouaque operum virtutumque exercitia esse petenda, ne vlla vitæ nostræ pars à Dei obsequio vacet. Itaque peractis omnibus, dicite serui inutiles, hoc est, vacantes sumus, quod debuimus facere fecimus; absoluius nempe imperata, & sic noua deinceps poscimus imperia. Atque ex his huius loci expositionibus, satis jam constare arbitror, nullum ex hæc Christi sententiâ dari patrociniū iis, qui animo sanè remisso & imbelli, iudicant actiones omnes in malam partem esse trahendas, neque vquam approbandas, sed contra potius condemnandas.

34.

Imbellis dixi ignauique animi esse ita secum agere; & quamuis qui illius genij sunt, sanctitatis adipiscendæ magnum in deprauiis hisce de se iudiciis credant se habere adiumentum, insignem nihilominus hîc rethnam dæmonis video & fallaciam. Persuadere nimirum nititur, vt semper iniquis oculis actiones suas homines, cæteroquin optimi, conspiciant, de iis in malam partem semper sentiãnt, ac denique vt condemnent; idque demissionis humilitatisque falso sub prætextu. Interim alia prorsus est ei mens. Animos ad bene agendum promptos aliàs atque alacres, nititur infringere. Certum est enim, vti rectè factorum Conscientia animos addit vt plura quis audeat; suoque exemplo exciratur quis, vt ad maiora aspiret. Dei adiuuante gratiâ, cum agnoscit ea quæ præstitit bene successisse; ita nihil adeo animos deiecit, hominemque in omnem trahit ignauiam, quam si videat, omni etiã adhibito conamine, nihil quidquam se proficere, nihil agere quod laude dignum sit, nihil quod non

Quid significet seruus inutiles.

Aug. l. 2.
Euan. qu.
q. 39.

Diabolus
persuadere
nobis vult
actiones
omnes esse
condem-
nandas
e. inquam
malas.

meritò reprehendatur & à Deo, & à se. An non hoc est ignauum tœdium actionibus inducere? Sanè reprehende quotidie & identidem puerum summâ diligentîâ characteribus formandis incumbentem, neque quidquam eorum quæ pinxit commenda; velle, reuelle apices singulos; citò destituetur animis, nihil aget; & si nihilominus cogatur scribere, lentâ calamum trahet manu. Hoc igitur Dæmonis artificium attende, & caue ne dum censor tuiipsius vis esse nimium rigidus, imbellis fias & ignauus virtutis executor. Nolo sanè palpari errores; sed fingendi non sunt vbi non sunt: & dum perperam factis debita adhibetur reprehensio, sanè laus sua bonis actionibus, quæ tota in Dei gloriam cedit, à Conscientiâ, æquo nimirum iudice, minimè est deneganda.

§. V.

Gaudium ex Conscientiæ bono testimonio exortum adeò non esse vanam gloriam, ut contra sit maximè solidum & meritorium, demonstratur.

*Ex laude
Conscientiæ
Gaudium
Voluntatis,*

VT ergo officio suo functa est Conscientia, benignamque de actionis peractæ probitate sententiam tulit, in quâ, quæ sola à Conscientiâ expectari potest, voluntatis laudem diximus consistere; tunc minimè dubium est, quin pro ingenito naturæ rationali laudis studio & amore, mentem subeat inexplicabile quoddam Gaudium: quòd sæpenumerò ita effertur, totamque ita complet animam, ut præ nimiam abundantiam corpori superfluum, illud etiam deliciis afficiat exquisitissimis. Gaudium animi, diximus esse quietem Voluntatis insidentis quoddammodo bonis à se partis; sibi que complacentis, Conscientiæ quòd fecerit satis. Corporis vero deliciae, sanguinisque quam animi Gaudium excitat impetiginem, gratumque sensum, propriè voluptatem voca. Et quidem de his secunda inferebatur quæstio; nimirum an Gaudium hoc, eiusque affectus, non sit ea quæ tantoperè condemnatur vana gloria? an non saltem vanitatis hujus contrahendæ periculo mens exponatur; ac proinde an non satius fuerit Gaudium hoc coercere & contrahere, ne se effe-
fferat,

*imo & cor-
pori voluptas
oriatur,*

*Quæritur
an Gaudium hoc
non sit inani
gloriæ.*

efferat, quàm fræna ei laxare ne incautum in præceptis ferat?

Quid dicam? Reuerà dissimulare non possum, quod mihi ^{Ineptè hoc} in mentem venit. Video, inquam, homines, quibus ita lubet ^{petitur.} esse meticulosi & tristibus, ut valde dubitem an non in ipso Gaudij centro, in cælo inquam disputaturi sint, an liceat tandem gaudere animo soluto & defœcato; & an inter delicias illas innocentissimas, periculum subituri non sint inanis gloriæ. Adeo meticulousum est hoc hominum genus, tristitiæ patroni sanè importuni.

37.

Breuius itaque respondeo; non aliam me profectò felicitatem mortalibus, miseram in hoc orbe vitam trahentibus optare, quàm eam quæ ex Conscientiæ bono testimonio enascitur. Vtinam huic Gaudio inquirendo insisterent mortales omnes! sanè & longè faciliùs lætitiàm assequerentur, & longè sinceriorum ex eâ voluptatem caperent, præ eâ quam in nescio quibus corporis deliciis, labore improbo, fructu aut nullo aut perquam exiguo, miserè perscrutantur, & numquam inueniunt. Longè profectò præ his alia est, quæ ex Conscientiæ testimonio voluptas percipitur. *Non est*, inquit D. Bernardus, *non est hæc delectatio cibi neque potus, aut similis cuiuslibet rei. Delectatio tamen est, & maior omnibus illis. Diuina est & non carnalis delectatio; & cum his delectamur, planè delectamur in Domino.* Hæc certè est de quâ gloriabatur Paulus ipse, neque tamen inanem esse, de quâ gaudebat, gloriam arbitrabatur. Gloria verò hæc erat Conscientiæ propriæ testimonium. Adeo autem non erat inanis, ut ex eâ maiores sumeret animos ad durissima quæque subeunda pericula: quin & corpus ipsum hæc tam solidâ delectatione reficeret, eique nouos subiiceret spiritus, ad aggredienda ea facinora, ex quorum approbatione, tam sincera & liquida ipsum corpus subiret delectatio. Et erit quisquam qui jam dubitet ea gloria aut voluptas admittenda num sit, quæ tantum ad heroica facinora præstat incitamentum & auxilium?

Quid, quòd non summæ delectationis tantum sit hoc Gaudium, sed & meriti maximi, virtutisque actus planè excellentissimus? quod quidem sic planum facio & demonstro. An enim hoc mihi quisquam negauerit, actum amoris & benevolentia egregium exercere me, si quando gaudeo atque etiam præ gaudio exulto, alienâ operâ Deum coli dum video, misericordiam

N n 3

Gaudium hoc summum est ad virtutem incitamentum.

Gaudium hoc summum est meriti, & virtutis excellentis actus.

D. Bern.
de trip.
modo o-
randi fer-
mone. 5.

diæ opera passim exerceri, templis cultum deferri, Sacram Synaxim frequentari? Nonne singulari etiam honore Deum afficio, hæc omnia dum probo, gaudeoque reuerentiam ei debitam à mortalibus deferri? Quis id inquis dubitet? amoris enim actus is est & Deo & hominibus Deum colentibus beneuoli. Summi igitur meriti est id gaudium. Jam verò istud rogo; cur si hæc ego meipsum agentem video, mihi non liceat eam beneuolentiam mihi met ipsi præstare, ut mihi gratuler bene me agere? aut cur delectare me non possint Deo à me præstita obsequia, delectare si possint aliena? an minùs ergo me afficiet, Deum à me quàm ab alio coli, si cultus utrobique æqualis sit, & meus fortè haud paulò religiosior? Certè præter rationem essent hæc omnia. Nemo enim cum mihi propinquior sit nec carior, quam ego met mihi; inordinatum planè sit me de alieno gaudere bono, & non de meo. Itaque si me diem rectè exiisse videro, si præclara pietatis opera præstitisse, si scelera deuisse, si religionem exactè coluisse, si Diuino cultui reuerentiam debitam exhibuisse, gratias agam Deo oppidò maximas; & beneuolo amore quo erga Deum feror, gaudebo à mortali homine Numen coli: mihi que gratulabor, quòd me cultûs sibi præstiti, passus sit esse instrumentum; & sic viuam placidè & securus mei. An non hoc gaudio Deum mihi demereor? an hoc non est Deum amplecti amore non qualicumque, sed amicitia & beneuolentia, hoc est, amore sincerissimo? Ut quid ergo vanum hoc dicunt gaudium, vanamque gloriam, quæ tanta merita secum trahit? Vana esset fortassis gloria, si bona quæ egisti opera passim diuenditares, humanæ tantùm laudis approbationisque putidè captandæ gratiâ: vana esset imò insana gloriatio, si bona quæ agis, tuo Marte, sine Diuinæ gratiæ auxilio, consecutum te crederes: vana esset gloria, si hæc ad contemptum aliorum te pertraherent; & contra, magnam tui ipsius existimationem ingererent, quasi esses quid eximium, & dignus qui tibi saltem placeas.

*Aliud longe
est gaudere
de se & si-
bi placere,
aliud gau-
dere de a-*

At inquis, qui de bonitate gaudet actionis à se præstitæ, an non is de se gaudet, & sibi placet? Minimè verò. Aliud enim longè est placere actionem à se exhibitam, aliud autem hominem placere sibi. Digna hæc est ad quam sedulò attendatur, duplicis complacentiæ differentia. Non enim est sanè, quod multum

39.

multum sibi placeat, aut multum arroget, quicumque demum dum adhuc mortalis est; nimia enim est humanæ virtutis inconstantia & infirmitas. Et quamvis tibi modò de virtute tuâ applaudas, teque demulceas; nescis sanè crastina quid ferat dies, & secutura Dæmonis impugatio. Hinc numquam de se solide quisquam gaudeat; nam quod est, potest non esse cras. Verum cum virtutis actionem aliquam præclare exercui, salua res est, in saluo est opus; neque unquam quod exhibitum est Deo obsequium, potest vitari. Deo exhibitus est cultus debitus, dies hic bene exactus est; neque si cras male egero, quidquam de hâc operis bonitate & præstantiâ, aut de cultu hodie Deo exhibitio detrahetur. Placere itaque id potest, quod actum est bene, quamvis is qui egit, sibi penitus placere non possit, neque quidquam arrogare, inconstantia suâ sibi cum sit conscius, adeoque nesciat quid de se futurum sit cras. Sic qui mercede operam elocavit, vesperi exacto opere, de labore peracto, & mercede conquisitâ merito gaudet, quamvis nesciat crastinæ quid ferant vires.

*Stione præ-
stita illam-
que placere.*

40. Gaudeat igitur Conscientiæ suæ testimonio felix anima, & de opere bene peracto, sibi & Deo benevolè gratuletur: sanè hoc ipso Gaudio, Deum sibi rursus demerebitur. Neque enim video, cum dolor & pœnitudo scelerum Divinos fauores, & gratiam possit promereri, cur hoc meritum Gaudio de re bene actâ denegetur. Rursus, si dolor animi peccata detestantis, vitandis deinceps sceleribus gratiam cælestem eliciat; certè de peractâ bene actione Gaudium, ad nova audenda, animos dabit; & verò etiam iis, peragendis, nova à Deo auxilia consequetur. Gaudeat itaque felix Anima; Deo de præstito sibi favore gratias agat, sibi que tanquam Divini cultûs promouendi instrumento gratuletur. Neque si sese tam felix lætitia animo ingerat, mentem contrahat: expandat quinimò illi excipiendæ omnés animi & peccatoris sinus. Nam vt ex Bernardo dixi, *Diuina est, non carnalis illa delectatio, & cum sic delectamur, planè delectamur in Domino.*

*Si bonus &
meritorius
est de malo
dolor, et-
iam bonum
& merito-
rium est
Gaudium
de bono.*

TERTIVM